DEO OPTIMO MAXIMO VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS I. DECEMBRIS,

M. GVILLELMO PETIT. Doctore Medico, Præſide.

An Mulierum à frequenti puerperio vita breuior? 933

ANIMALIVM ea cenſentur μακρόβια, quorum vita per longam multorum annorum ſeriem à primis orientis æui momentis ad occaſum vltimi ſpiritus euoluitur: Βραχύβια verò, quæ parcior modus temporis in gyrum vitæ breuiorem circumagit; ſed quæcunque vitæ conditio excipiat, magna ad eam loci vis & regionis, quam illis ad naſcendum viuendumque Natura definit. Quæ ſunt aſcripta in terrarum incolatum, multò longiùs vitæ ſuæ metas proferunt, quàm aquis habitandis addicta, quæ etſi humoris inſiti fœcunditate anteuertant, non carent tamen frigiditate inexpugnabili, quâ veluti machinâ tacitâ, atque occultâ oppugnantur, & citiùs quàm ad longæuitatem expediat, expugnantur. Animantes, quibus ſua ſors & Natura ſanguinem in alimentum ſuggerit, pari priuilegio exſangues ſupergreſſæ, habent quo vitam & ſpiritum diutiùs tueantur incolumem, dum nec improbis laboribus ſe conficiant, nec vſu frequenti veneris exhauriant, ὀχευτικὰ καὶ πολύσπερμα γηράσκει ταχύ; ſiquidem eò fit, vt mares fœminis plerumque ſint minùs diuturni, quanquam ipsâ lege Naturæ & habitu ad vitam longiorem ſint compoſiti, & iis inſtructi præſidiis quibus mortis quouis momento ingruentis impetum refutent. Eſt enim in iis humidi copia calore ad vegetationem præualido ſic munita aduersùs communem naturæ hoſtem, vt ab eo expugnari non poſſint, niſi multorum annorũ obſidione debellati. Quæ parua ſunt animalia, non facit exiguitas ſua, quò breuiùs vitam agant. Teſtes ſunt apiculæ, quæ, ſi loqui poſſent, maioribus pleriſque vitæ breuitatem probro obijcerent. Corporis molem iis facilè concedunt, at vitæ diuturnitatem non ſine ingenti gloria ſibi vindicant.

NON eſt, quod æuo longiore glorientur, aut ſuperbiant animantes, & putent ſibi lege ſingulari Naturæ tributum, vt diuſuperſint, quas plantæ, ſi ad certamen durabilitatis & contentionem veniant, poſt ſe longo interuallo ſunt relicturæ, maximè quæ ſtirpium & caudicum robore, & firmitate radicum nixæ viam ad æternitatem affectare videntur; adeò illas neque imber copioſus eluit, nec tempeſtas deiicit, nec vis edax temporis niſi in venerationem & religionem vetuſtatis reſoluit. Mulieres cunctæ cum viris de præſtantia non queunt contendere; corpus illis laboris minùs patiens, animus quantumuis amplus, tamen anguſtior, mens imbecillior & conſilium, mores ad normam vrbanitatis & officij minùs exacti, & calliditate neſcio quâ ſemper adumbrati: ad hanc infelicitatem non proletariam accedit vitæ breuitas, pauciores viuunt annos, illæ præcipuè quæ plures partus enumerant: indidit enim illis Natura quandam frigiditatem cum humido minùs ſyncero coniunctam, multas excrementorum fæces miſcuit, nec indidit gradum illius caloris viuifici, quo animati virorum ſpiritus in actiones præſtantiſſimas, & virtutes effloreſcunt. Nimioperè tamen iniurius es, ſi mulierem quoddam Naturæ πάρεργον & monſtrum, aut præter ipſius intentionem, quaſi caſu & aberratione genitam crimineris. Rationalis anima, quæ ſola ſine vlla alia vi ſeminis aſcititia cauſam generationis ſuſtinet, biduo aut triduo poſtquàm ſemen conceptum eſt, ex principijs ac elementis vitæ inter ſe temperatis hominem intendit & mulierem formare, ne ſpeciei ſua deſit perfectio, ſua deſideretur conſeruatio. Illa etenim cum graui ſanguinis & vitæ impendio loculum in vterò præbet atque alimentum ſemini, ex quo ſpecies nata ad æternitatem propagatur.

VARIA eſt animantium inter ſe diuerſitas, & multiplex Naturæ diſcrimen; quædam pigrò torpore obſitæ viuunt immobiles in eodem loci veſtigio, veluti plantæ radicibus defixæ; aliæ in diuerſum penitùs natæ errant, & huc atque illuc vagæ feruntur veſtigantes alimenta, quorum famem acuit boni quod anteceſſit cognitio. Sunt, quæ vilitate natalium ſuorum cogente procreant neſcio quid diuerſum atque alienum à genere ſuo, nec habent ortus ſui cauſam, ſi ſubiecti, ex quo naſcuntur, corruptionem exceperis πάντα δ' ἔστι ἔνια τῶν ἐντόμων; quanquam in nobilioribus etiam, & iis quæ ἐκ τῆς ὁμιλίας propagantur, vis amoris, aut potentioris iniuria facit nonnunquam, vt diuerſam à ſua ſpeciem progenerent; alioquin nec Africa noui quicquam ferret, nec leopardos videremus aut mulos per adulteria ſpecierum procreatos. Corporis mole conſpicuis vno partu plures fœtus edere negatum eſt, mole laborant in fœcunditatem ſterili, & indigent maiore copiâ victûs, quem ita concoqunt, vt pauxillum in elementum generationis diſtribuanr, ſimiles ſunt plantis, quarum proceritas tantum alimenti requirit, vt improbâ cibi auiditate quaſi ingluuie quadam nihil, aut exiguum quid & minutulum, in ſpeciei ſuæ productionem reſeruent. Alia ratio eſt humilium quæ fructuum multitudine malunt quàm trunci & ramorum proceritate commendari, ad quarum ſimilitudinem mihi naſci & viuere videntur animantes puſillæ quæ fœcunditate luxuriant, ac fœtu multiplici ſuum maturant accerſuntque interitum.

MVLIER cum quouis animantium genere de fœcunditate ambigit; & quanquam Naturæ ſuæ conditione vnicum vnò partu fœtum edat, tamen hâc conditione excepta & ſoluta plures quandoque emittit, vt iam lex illi penitùs certa & inexorabilis ad numerum conſtitui, nec tempora pariendi perpetuò ſibi conſtantia definiri poſſint. Parit enim menſe ſeptimo, parit & octauo, ſæpiùs nono; nonnunquam decimo. Sunt quarum maternitatem in vndecimum menſem fœtura remoratur. μήτρα, quam iure dixerim animantem generandi appetentiſſimam, poſtquam excepit ſeminis plurimum & materiæ, aut eiicit quod ſentit eſſe ſuperuacuum, aut eius multitudine quaſi oleo addito flagrantior, non monſtro componendo deſtinat, ſed pluribus fœtibus formandis diſtribuit, quorum qui primus exit in lucem, primogeniti prærogatiuâ gaudet. Αὐξάνεται τὰ ζῶα πάντα, ὅσα ἔχει ὀμφαλὸν, διὰ τοῦ ὀμφαλοῦ. Fœtus humanus perinde ac cæterarum animantium indigus alimenti, cùm ore illud capere nequeat, vmbilico haurit, quo viuit & alitur. Pars hæc concreta eſt ex vena, duabus arteriis & vinculo quodam firmiore, quod veſicam ita ſuſpenſam ac libratam tenet, vt viam tamen non pręſtet vrinæ in membranam amnion emittendæ, quæ vaſcula non continuâ connexione cum maternis iuncta ſunt, nec communi aditu meatus illorum committuntur, verum inſtar hirudinum ſanguinem & ſpiritus maternos in fœtûs alimentum ex placenta perpetuò ſugunt: ſic mater omni ſucco & ſanguine propemodùm exhauſta ſępè in maciem, quam iure quis mortis conſanguineam dixerit, ſubindè prolabitur.

FOEMINARVM fatum, ſi quod aliud in humanis, miſeratione prorsùs eſt digniſſimum: nam ſiue ab omni contactu virili abſtineant, ac in virginitate illibatâ vteri ſterilitatem quærant, tamen abs ſe morborum, qui ex eâ pullulant, fœcunditatem arcere nequeunt; ſiue dulcedo materni nominis & illecebra thalami pręferenda videatur, vix à congreſſu conſurgunt, cùm ægritudinum vis ingens circa conceptionis tempora, vno quaſi agmine impetum in eas facit. Hinc capitis dolor acutiſſimus, quem exhalatio fumoſi ſpiritus à pręcordiis in illam arcem erũpens ſolet excitare: hinc inſomnia, & vigiliarum importunitas: σκότοι περὶ τῶν ὀμμάτων: moleſtiſſimi vomitus & σπαργνεία quouis angore atrocior, tenet orexis improba cibi à Natura & conſuetudine abhorrentis, vſitati & humani faſtidium; crura & tibiæ velut tympanite inflata intenduntur: totum denique corpus languore & laſſitudine reſoluitur, βαρύνονται τὸ σῶμα πᾶν. Animus illis non firmiùs valet; diceres illum Naturam corporis & conditionem induiſſe, adeò ſimul cum eo languet, ſimul cum eo laborat, nulla ei quies niſi inquies, metus incubat perpetuus, triſtitia perenni moroſitate amara. Si quando fœtus vterum pulſu validiore incuſſerit, ingeminantur formidines ingruentis partitudinis, ea tametſi longiùs dilata ſit. Quò plures edunt partus, eò diutiùs grauiúſque affligantur, nouâ ſubindè ad pręteritos acceſſione dolorum factâ. Eſt enim vteri geſtatio ęgritudinum fœta, nec ex eâ parciùs morbi, quàm ex fontibus amnes inexhauſtâ vbertate proſiliunr. His *breuior dira mortis aperta via eſt.* Hoc fato matres fiunt, & cùm fœtui ſuccos ac ſpiritus de ſuis puriſſimos ſufficiant, ipſę ſe inſcię conficiunt. Sed hę ſunt delicię & voluptates præ dolore & vexatione pariendi, quę quanquam iterato partu leniatur, ramen non efficit, ne quo tempore vitam dant, ipſæ vnquam vitam amittant.

Ergo Mulierum à frequenti puerperio vita breuior.

Proponebat Lutetiæ IOANNES DE SAINCT-YON, Pariſinus. A.R.S.H. M.DC.XLIV.

D. DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Petrus Legier.	*M. Petrus Yon.*	*M. Michael de la Vigne.*
M. Ioannes Chartier Medic. Reg.	*M. Claudius Germain.*	*M. Ioannes Perreau.*
M. Ioannes Pietre Schol. Prof.	*M. Germanus Preaux.*	*M. Georgius Cornuty.*

